



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 130. Quid notandum sit præterea circa commodatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

A D D E N D A.

§ 20 Q. 130. Quid notandum sit præterea circa commodatum. R. Seqq. §. 1. Qui habet jus utendi re commodatâ, potest, per se loquendo, etiam alteri commodare, nisi aliter conventum sit, vel sciretur de contraria mente commodantis, potest enim alteri cedere jus suum.

§ 21 §. 2. Commodatarius tenetur ad sumptus ordinarios circa rem commodatam, v.g. tenetur pascere equum commodatum; item soleis ferreis instruere, si deficient: Ad extraordinarios tamen sumptus non tenetur, v.g. non tenetur ad sumptus pro equo sanando, si ægrotare incipiat pro redimendo, si ab hoste capiatur; quare poterit tum monere dominum, ut sumptus minifret vel rem recipiat, se enim curam ejus dimittere: si tamen monere non posset dominum, teneretur exponere sumptus, & postea rem detinere, donec refunderentur, *Lugo. d. 8. n. 134.*

§ 22 §. 3. Damnum, quod commodatarius patitur à re commodata, debet compensare commodans, si scivit vitium rei, & prævidit damnum inde secuturum, quod impedire poterat & debebat, uti si equus commodatus fuit morbidus & infecit alios: Si autem nescivit, damnum spectat ad commodatarium.

§ 23 §. 4. Pupillus, Minor, prodigus, non obligantur, si dent commodato absque autoritate Tutorum vel Curatorum, sed possunt repetere ante tempus designatum; si tamen aliquid commodato acceperint, commodans obligatur illis servare tempus.

§ 24 Q. 131. Quid circa precarium sit addendum. R. Seqq.